AUTHOR:

no author

TITLE:

PRAEMISSA SUNT EPIGRAMMATA...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1819

Master Negative #

93-81553-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG93-B4i7i              Acquisitions     NYCG-WMK
Record i of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B4i7i              RTYP:a    ST:s    FRN:    MS:   EL:      AD:05-ii-93
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?    MOD:     SNR:        ATC:       UD:05-ii-93
  CP:gw      L:lat     INT:?   GPC:?    BIO:?    FIC:?       CON:???
  PC:s       PD:1819/          REP:?    CPI:?    FSI:?       ILC:????    II:?
  MMD:       OR:    POL:    DM:      RR:         COL:        EML:      GEN:   BSE:
  040        NNC=|cNNC
  245 i0     Praemissa sunt epigrammata Graeca ex marmoribus collecta=|h[microform]
  260        Bonnaec=|bTypis Kupferbergerianis,=|c1819.
  300        14 p.
  LDG        ORIG
  QD         05-ii-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13.5x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/7/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202




Centimeter




Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


880 Z8 4
Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

Epigram - Greek

No. 1

DIEM NATALEM

REGIS POTENTISSIMI ET CLEMENTISSIMI

FRIDERICI GUILELMI III.

DIE III. AUGUSTI

ORATIONE CELEBRANDUM INDICIT

RECTOR CUM SENATU.

F. Gottlieb Welcker 1784-1868

Præmissa sunt epigrammata Græca ex marmoribus collecta.

BONNÆ, 1819.
TYPIS KUPFERBERGERIANIS.

den H. Doctor Richter in Laubach

Quod Jacobsius, vir praestantissimus, Brunckii secutus exemplum, epigrammata ex libris et marmoribus collecta utrisque suis, quibus aeternum de Anthologia Graeca promeritus est, editionibus, corollarii loco, subiunxit, gratiam habent et semper habebunt omnes Graecarum litterarum studiosi, tum quia multa sunt inter ea sensuum atque dictionis nativa venustate et grata simplicitate insignia, quae in libris minus vulgaribus, non ad litterarum Graecarum, sed ad reconditiorem antiquitatis scientiam pertinentibus delitentia, multorum poeseos Graecae condorum promorum vel ex doctissimis notitiam fugere potuissent, tum quia variis huius generis reliquiis in unum collatis et cumulatis facilius, quam late patuerit inter Graecos sermonis poëtici et metrorum peritia quaedam ac usus, quatenus scilicet hoc ex lapidariae Musae fetibus aestimatur, censeri atque computari potest. Quare operae pretium visum est, si quae epigrammata vel dudum edita a duumviris istis celeberrimis praetermissa, vel nuperrime in itinerariis vel ubiubi in lucem protracta reperissemus, in fasciculos subinde constricta, ad largas illorum messes apponeremus; non quo curiose omnia excuteremus, docteque et copiose illustrando absolveremus, sed ne nimium quantum dispersa diutius a multis ignorari pateremur.

Epigrammata sepulcralia.

1.

Δμωῒς δρηστοσύνῃσι κεκασμένη, οἷσι ποθεινὴ
θρεψαμένοις, τύμβου τοῦδε θανοῦσ' ἔλαχεν.

Ex *Stuarti* libro praeclaro *The antiquities of Athens* T. I. p. 52. Inscriptio Athenis reperta, elegans ea et mitiorem, quae Atheniensium servis esse solebat, conditionem testificans. Ac nescio an non parum humanitatis conspiciatur vel in verbo τρέφεσθαι liberaliter ad dominorum rationem designandam delecto. Δρηστοσύνη vox est Homerica. Componi potest distichon in *Append. Jacobs.* p. 858. nr. 318, ab *Juvenatio* in *T. Liv. Hist. l.* 91 *fragm.* p. 40 latine expressum:

Hippocrates dulci posuit monumenta Philino
Servo haec, omnigenae pignus amicitiae.

2.

Σώσιος Γορτύνιος Χαλκόπτης.

Μνῆμα δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης ἀρετῆς τε
Σωσίνῳ ἔστησαν παῖδες ἀποφθιμένου.

Inscriptio Atheniensis, ex schedis Mustoxidi, quam una cum sequenti, item Atheniensi, Boeckhio, doctissimo viro, acceptam ferimus. Lapis imaginem senis in sella sedentis habet exsculptam. Caeterum ipsa distichi forma a lapicida ex- pressa, pro terminatione genitivi ου̅, ut saepe, exaratum est ΑΠΟΦΘΙΜΕΝΟ. Μνῆμ' ἀρετῆς, formula monumentorum huiusmodi solennis *Vid. *Jacobs. Append.* p. 751. 832. 835 etc. Inauditum est nomen Χαλκόπτης, pro Χαλκοκόπτης, nisi egregie fallimur; (cuiusmodi contractionis quaedam alia in Graecorum etiam lingua inveniuntur exempla) hoc autem pro Χαλκοκόπος, i. e. Χαλκότυπος, ut ἀργυροκόπος, *faber argentarius*, qui et ἀργυροκόπειος audit, apud *Athen.* V. p. 193 D. et ἀργυ-ροκοπίστης.

3.

ΦΙΛΟΝΩΛΕϹΑΠΡΙϹΚΟϹ
ΕΒΔΟΜΟΝ . . . ΚΕΤΟϹΚΑΚΟΝΗΛΥ
. ΔΗΤΟΤΕΓΑΡΜΕ
ΔΑΚΡΥΟΕΙϹΑΙΔΗϹϹΥΝΕΡΕΙΛ
ϹΙΝΗΙϹΤΩϹΕΝ
ΤΥΜΒΟϹΔΕϹΤΟΝΟΕΙϹΟΔΕ
ΙϹΧΕΙΟϹΡΑΤΕΤΥΚΤΑΙ
ΑΓΧΟΥΝΥΜΦΑΩΝΟΘΕΝΑ . .
ΑϹΤΥΑΘΗΝΗϹ
ΠΑϹΙΝΑΓΓΕΛΕΕΙΝΝΕΠΑΡΟ . .
ΕϹϹΟΝΕΝΟΙϹΤ

— φίλον ὤλεσα Πρίσκος, .
ἕβδομον * ἔτος κακὸν ἤλυθε· δὴ τότε γάρ με
δακρυόεις Ἀΐδης * * ἠΐστωσεν.
τύμβος δὲ στονόεις ὅδε ἴσχει, ὅς ῥά τέτυκται
ἀγχοῦ Νυμφάων, ὅθεν ἀεὶ ἄστυ Ἀθήνης
πᾶσιν ἀγγελέειν με παροῦσιν τ' ἐσσομένοις τε.

Ex schedis Fourmonti ineditis. Sepulcrum situm fuisse videtur prope Nymphaeum in flexuosis recessibus, unde prospectus non pateret ad urbem quamvis

vicinam, ita ut viatores ex epigraphe monumenti puero Atheniensi consecrati se in Athenarum vicinia esse discere possent. Fourmontus quaedam perperam legisse videtur, ut literam K ante ἔτος in versu secundo.

4.

Ἐπὶ Σκοτίου τοῦ Σκύθου.

Ὦ ξεῖνοι, Σκοτίης ὅδ' Ἀρηΐῳ ἐν Μαραθῶνι
κεῖμαι, ἀριστεύσας ἕξακις ἐν πολέμῳ.

Ex *Diario Classico* Londinensi Fasc. XXXII. p. 395, ubi hoc et proxime sequens epigramma leguntur hoc instructa lemmate: « Epitaphia duo, ab Angelo Maio, vel ab alio quovis nuper reperta. «

5.

Ἐπὶ Τίμωνος τοῦ Μισανθρώπου.

Τίμων ἔνθαδε κεῖμαι, ὑπὸ κλεινοῖο Κορίνθου
μαρνάμενος δῄοισι· σὺ δ', ὦ ξένε, μή μ' ἐλέαιρε·
καὶ γὰρ ἐγώ σε ζωὸς ἐὼν ἤχθηρα μάλ' αἰνῶς.

Hoc epigramma, idque solum inter ea, quae his complectuntur pagellis, merus ingenii lusus est. Timonem, Echecratidae filium, Colyttensem, in prœlio ad Corinthum mortem occubuisse aliunde non noveramus. Commentus aliquis fuerit, Timonem ad explendum odium barbaris velut generis humani inimicis Graecorumque populi exstirpandi cupidissimis se adiunxisse socium. Huic et praecedenti epigrammati portentosa quaedam subiuncta sunt scholia, quibus et Scotii cladem de poemate cadente intelligendum esse, et Timonem libros scripsisse declaratur. Prius: Σκοτίας οὗτος Σκύθης ἦν, ὃς ἐς Ἕλλαδα ἀφικόμενος, ἓξ μὲν πολεμικὰ ποιήματα σὺν δόξῃ τινὶ ἔγραψεν, ἐν δὲ τῷ ἑβδόμῳ, Μαραθῶνι ὠνομασμένῳ, πόλυ ἐσφάλη. Alterum: Τίμων, Μισάνθρωπος καλούμενος, ὃς Ἀθήνῃσι ἀὲν ἐπαιδεύθη, ἀνδρωθεὶς δὲ πολλάς τινας Χώρας διέβη, ἡδόνην ἀναζητῶν καὶ οὐχ εὑρών, πολλὰ βιβλία ξυνέγραψεν, ἵνα ἐνδείξειε πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἀθλίως διακεῖτο, τελευτῶν δὲ σὺν τοῖς βαρβάροις Κόρινθον πολιορκήσας ἀπέθανε.

6

ΚΥΖΙΚΟΣΗΝΜΙΑΠΑΣΙΠΑΤΡΙΣΚΑΙ
ΜΟΙΡΑΔΕΠΑΝΤΑΣΩΛ
ΛΥΣΕΝΗΙΘΕΟΥΣΩΠΑ
ΡΟΔΕΙΤΑΜΙΑ - - - - - - - - -
ΟΥΤΟΚΑΛΟΝΚΟΣΜΕΙ
ΠΕΡΙΚΕΙΜΕΝΟΝΟΥΝΟ
ΜΑΤΥΜΒΟΥΣΟΥΙΛΥΚΥΣ
ΕΣΘΗΜΕΙΝΚΑΝΦΘΙ
ΜΕΝΟΙΣΙΝΕΡΩΣ

Sic haec marmoris Messanensis inscriptio ex apographo, ut videtur, recens ab Anglo quodam facto, in *Diario Classico* repraesentatur, Fasc. xx p. 344; unde lacunae signorum respectu non habito sententia prodit satis idonea, solamen esse iuvenum unâ, naufragio fortasse in freto Siciliae facto, morte consumtorum, quod patriae, cuius etiamnum apud inferos ipsis supersit desiderium, nomen illustre singulorum tumulos ornet.

Κυζικὸς ἦν μία πᾶσι πατρίς, καὶ μοῖρα δὲ πάντας
ὤλλυσεν ἠϊθεούς, ὦ παροδῖτα, μία·
οὗ τὸ καλὸν κοσμεῖ περικείμενον οὔνομα τύμβους,
οὗ γλυκὺς ἔσθ' ἡμῖν κἂν φθιμένοισιν ἔρως.

Genus pronominis ad Cyzicum urbem spectantis defenditur exemplis in *Matthaei Grammatica* p. 112 allatis, quibus addere licet κλεινοῖο Κορίνθου, supra N. 5. In eiusdem Diarii Fasc. xxi p. 181 vel idem, qui illic ediderat, vel alius vir doctus pro priore ου poni volebat ὧν, tum demum post μία nihil desiderari ratus; sensum autem hunc esse statuebat satis insulsum: *Quorum sepulcra ornat circumiacens honesta fama, cuius sc.* τοῦ καλοῦ ὀνόματος, *h. e.* τοῦ εὖ ἀκούειν, *amor nobis dulcis est vel defunctis.* Praeterea insolentem formam ὤλλυσεν, quam hinc discere debuerat, mutat in ὤλεσαν, et postquam mutavit, propter hanc maxime formam, totam inscriptionem spuriam esse suspicatur, simul tamen innuens, litterarum formam et positionem lacunarumque, si quae fuerint, signationem in apographo fortasse non servatas esse religiose. Enimvero lacuna, quam solam expertus est hic lapis unius distichi, suo loco est indicata, quamvis non servato numero litterarum singulis versiculis comprehensarum, ut apparet ex *Muratorio* p. DCCXLVIII, 4, qui hanc inscriptionem olim edidit ex *Gualterii Messanensibus* in *Thes. Sicul.* Vol VI. p. 180, unde repetivit *J. H. Leichius* in *Miscell. Lips. Nov.* Vol. I p. 500, et quoad distichon, quod inter utrumque nostrum excidit et iam tum in lapide paene evanuisse videtur, ex Gualterii Addendis, neglectis iis a Muratorio, paulo integriorem in *Sepulcr. carmin.* p. 51, ubi etiam citatur, qui eandem tractavit, inter plures, quarum nonnullas repertas fuisse observat in fano Herculis, hodie D. Jo. Baptistae, *Plac. Reyna* in *Notit. urbis Messanae* P. I p. 162. Gualterius autem post primum quidem distichon, cum antea (cum Reyna) non nisi haec edidisset:

ΑΥΤΟΣΕΧΕΙ
ΠΟΘΗΣΕΝΚΑΙ - -
ΤΕΥΞΕΛΤΡΟΙΟΝ: ΙΟΙC
ΟΥΤΟΚΑΛΟΝ κ. τ. λ.

ex schedis viri cuiusdam eruditi post enotavit haec verba:

ΑΥΤΟΣΕΧΕΙ
ΠΟΘΗΣΕΝΚΑΙ - -
ΤΕΥΞΕΛΥΓΡΟΙΣΜ - -
ΜΑΤΑΜΥΡΟΜΕΝC
ΟΥΤΟΚΑΛΟΝ κ. τ. λ.

Hinc quam Leichius exsculpserit sententiam nihil attinet referre, cum prima statim vox CΥΖΙΓΟC, apud Reynam, ΣΥΖΙΚΟC, apud Muratorium, pro σύζυγος, *coniux*, accepta mirum quantum a veritate eum detorserit. Reynae σύζυγος est adiectivum, *aequalis fuit una omnibus patria*, nimirum Messene, ut cogitetur, de triginta quinque Messeniorum pueris in freto Siciliae, fracta nave, ad unum omnibus submersis, quos luctu publico et variis honoribus prosecuti sunt Messanenses. *Pausan.* V, 25, 1. Optime, si haec esset verbi σύνζυγος vis. Prima littera iam tum fuerit deleta, quam non Σ sed K fuisse nobiscum sentient qui singula pependerint. Distichi secundi litteras evanidas de coniectura supplendi nulla satis placet ratio.

7.

Ἴδριν Ἀθηναίης πάντων Διονύσιον ἔργων
ἡ ξείνη Πατάρων γῆ με λαβοῦσα κρατεῖ,
Τμώλου ἀπ' ἀμπελόεντος· ἔχω δὲ κλέος καὶ ἐν ἀστοῖς
ὠδείῳ μεγάλην ἀμφιβαλὼν ὀροφήν.

Pataris Lyciae cum multis aliis epitaphiis, ex quibus hoc unum iuris publici fecit, exscripsit Anglus *Francis Beaufort*, ex cuius Itinerario (*Karamania or a brief description of the south Asia Minor* 1817) nuper excerptum est in *Diario Eruditorum Parisiensi.*

8.

ΕΙΠΕΙΝΤΙCΔΥΝΑΤΑΙ
CΚΕΝΟCΛΙΠΟCΑΡΚΟΝ
ΑΘΡΗCΑCΕΙΠΕΡΥΛΑC
ΗΘΕΡCΙΤΗCΗΝΩ
ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ.

Εἰπεῖν τίς δύναται, σκῆνος λιπόσαρκον ἀθρήσας,
εἴπερ Ὕλας ἢ Θερσίτης ἦν, ὦ παροδῖτα;

Ex *Dallawaei* libro indiculos continente monumentorum artis antiquae per Angliam hodie dispersorum, (*Anecdotes of the arts in England* p. 330 ed. 1800) ubi quae basis vocatur, cippum esse, intelligi sponte potest. Refertur inscriptio ad larvam, (nudis, ut Seneca ait, ossibus cohaerentem) huic saxo vel insculptam olim, nunc deletam, vel adhuc exstantem neque observatam ab editore. Juvenatius in libro supra laudato p. 40, se tribus quatuorve ante annis Romae vidisse narrat lapidem, postea ex villa Buronia in Angliam transportatum, cum hac ipsa epigraphe supra sceleti humani figuram, quem ab illo non diversum esse lapide dubitare non sinit, quam adiunxit, icon aere expressa, notas exhibens eadem plane versuum dispositione collocatas, continentique, ut in Anglico libro, serie scriptas, supra formam larvalem. Jam cum Juvenatii liber apparuerit anno 1775, Dallavaeum, qui anno 1776 saxum istud non longe a vetere Antio terra effossum esse refert, quoad annum errasse oportet. Vertit Juvenatius:

Quis potis adspiciens nudato iam osse cadaver,
Thersites an Hylas fuerim dixisse, viator?

Eandem mortis imaginem in epulis esse propositam, norunt omnes ex *Petronio* 34, ubi, cum larvam argenteam servus attulisset, Trimarchio exclamat:

Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Cuius usus monimentum exstat in fragmento anaglyphi Parisiis adservati, vid. *Visconti Indicem monum. antiqu. Musei regis Galliarum* 1817 Nr. 19. Pro sceleto in lapidibus sepulcralibus exsculpi etiam solebat cranium; vid. Polemonis Regis Epigr. I *Anthol.* T. II p. 330 et *Append.* p. 798 nr. 121.

9.

Ἧδε πέτρος κεύθει Γραφικοῦ δέμας, ἐ(ς μακ)άρων δὲ
ψυχὴν θεσπεσίην θῆκε θεὸς πεδίον·

οὕνεκεν ἦν πανάριστος, ἐν ἠγαθέοις δὲ πολίταις
πρῶτα φέρων πινυτῆς, κῦδος ἐκαρπίσατο·
εὔξατο δ' αὖ μακάρεσσι καὶ ἱμερτὴν παράκοιτιν
τοῦδε λαχεῖν τύμβου, γήραος εὖτε τύχοι.
Χαῖρε Γραφικέ.

Aegis Macedoniae, nunc Bodená, Vodhená, reperit Anglus eruditus, W. M. Leakius, inserique iussit in *Diar. Classicum* Fasc. XXVI p. 334 cf. F. XXIX. p. 164. V. 3 marmor praebet πολειταις, V. 5 ειμερτην. Formam activam πρῶτα φέρων, pro πρῶτα φερόμενος, in eiusdem Diarii F. XXXIV p. 388 illustrat Boissonadius V. Cl. in Commentatione ad Inscr. Actiacam, ubi simul vocem σκῆνος optimo iure reddit epigrammati a Jacobsio in Append. N. 290 recepto. Neque aliter legerunt viri itineribus in Graeciam factis celeberrimi *Sponius* et nuper *Clarkius*, qui ex marmorea urna in sacello quodam prope Thebas collocata litterisque admodum perspicuis atque distinctis signata hoc epigramma denuo enotavit, in Itiner. T. II Vol. 3 p. 59, unde reliquam lectionis varietatem excerptam apponemus. V. 1 θανουσι. 2. τειμωντες. 3. ες. 4. νηδυμος. 6. ολιγων, et quod Jacobsius ex emendatione sua posuerat, εναριθμιος. 7. ανεδραστον εχων. 10. αειμνηστον. V. 4 ἀδαής adiectivum esse non persuasit nobis Jacobsius. Est etiam inter marmora Elginia sarcophagus cum nomine mulieris *Adae*; vid. *Synopsis of the Contents of the British Museum* 1817 p. 124.

10.

Ἔνθαδε Γαιωνᾶς, ὃς κίστιβερ ἦν ποτε Ῥώμης
καὶ δείπνοις κρίνας πολλὰ μετ' εὐφροσύνης,
κεῖμαι τῷ θανάτῳ μηδὲν ὀφελλόμενος.

Gruter. p. 912. (ed. 1616.) ex lapide Romae tum exstante; *Murat.* p. MDCLXXX, 11, ex apographo Ligorii, cf. *Leich.* in *Misc. Lips. Nov.* T. I. p. 492. Quae cistiferorum fuerit Romae conditio, num officii ratio eos adduxerit ad ludos istos symposiacos, quorum iam apud *Theognidem* 971 mentio fit, non liquere putamus. Subter Graeca scriptum est: GAIONAS. ANIMVLA. Gaeonas morti, cui πάντες ὀφειλόμεθα, nihil *iam* debet, quippe cui debitum solverit.

11.

Θεοῖς καταχθονίοις.

Νῦν Βασίλειος ἐγώ, βρέφος ἄικινον, ὧδε, Μακρῖνος,
πατρὸς Μακρίνου, Γλυκερᾶς μητρός με τεκούσης,
ὀκτὼ ἔτη πλήσας, πρὸς τούτοις μῆν' ἑβίων ᾱ.

Ex *Muratorio* p. MDCCIV, 7 emendatum exhibuit *Leich.* in *Misc. Lips. Nov.* T. I. p. 497; hexametros esse, non animadvertens. In fine exaratum est μινα. Littera numeralis ᾱ μονοσυλλάβως in iambis apud *Iacobs. Append.* p. 821. Αἵμνον pro αἴλινον apud Leichium typothetae error est.

12.

ΚΕΙΜΑΙϹΟΕΜΟϹΑΝΗΡ
ΒΙΟΤΗΤΑΝΕΟϹΤΕΛΕϹϹΑϹ
ΚΑΙΓΑΙΗΝΠΑΤΕΩΝΚΑΙ
ΚΥΜΑΤΑΝΗΥϹΙΠΕΡΗ
ϹΑϹΑΥϹΟ
ΝΙΗΓΑΙΗΤΕΡΜΑΒΙΟΥ
ΘΕΜΕΝΟϹ.

Ex schedis Zoegae, qui ex tabella marmorea in impluvio aedium Rondaninorum descripserat. Sub primis verbis soluta oratione scriptis latere videtur: κεῖσαι ὦ ἐμὸς ἀνήρ. Distichon autem

καὶ γαίην πατέων καὶ κύματα νηῦσι περήσας
Αὐσονίῃ γαίῃ τέρμα βίου θέμενος

ab alio lapide mutuatus fuerit quadratarius. Littera ῑ quibus locis subscribi mature coepta est, iis a lapicidis, seriore aetate, ut in libris scriptis, saepissime omittitur, ut e. g. deest in ΔΡΗΣΤΟΣΥΝΗΣΙ N. 1, in ΣΩΣΙΝΩ N. 2, in ΑΡΗΙΩ N. 4, in ΩΔΕΙΩ N. 7, in ΚΩΜΩ ΕΝ ΗΓΑΘΕΩ secundum apographum Fourmontianum epigrammatis quod in *Iac. Append.* est N. 275 cet.

13.

Ἰητήρ, Μεθόδου, Ἀσιατικὲ προστάτα, Χαῖρε,
πολλὰ μὲν ἐσθλὰ παθὼν φρεσί, πολλὰ δὲ λυγρά. —

In thorace (bustum vulgo dicunt) scriptum, qui editus est in *Visconti Iconograph. Graec.* Tab. 33, 2, et in Museo antiqu. statuarum *(Musée des Antiques)* Fasc. 25. In basi legitur, M. ΜΟΔΙΟϹ ΑϹΙΑΤΙΚΟϹ ΙΑΤΡΟϹ ΜΕΘΟΔΙΚΟϹ.

14.

— Τίκτε τέχνα, τὸν ἄριστον ἀμύντορα πατρίδος αἴης,
οἷον Ζεὺς ὤρσεν, οἷον Ὅμηρος ἔφυ.

Ex *Rob. Walpolii Memoirs relative to Turkey* p. 107, descriptum a Dr. Huntio in cimeterio Turcarum in vico Troadis Palaio Atche Kevi.

15.

Υἱὸς Βίωνος Ἀπίων μὲν οὖν θάλε,
ἄτεκνος, ἄωρος, εἴκοσι πλήσας ἔτη,
καίτοι ἐπὶ τούτοις οἰκτρὸς ἐν τρίσι ἡμέραις
θανών, ποθεινὸς τοῖς γονεῦσι γενόμενος
ᾧ παστὸν οὐθείς, οὐχ᾽ ὑμέναιον ᾖσε τις,
οὐ λαμπάδ᾽ ἧψε νυμφικήν, γόοισι δὲ
καὶ δακρύοις πολλοῖσιν ἐνθάδ᾽ ἤγαγον,
οὗπερ κατοικεῖν δεῖ με τὸν λοιπὸν χρόνον.
μᾶλλον δὲ κλαύσας, πάροδε, τὴν ἐμὴν τύχην,
βαῖν᾽, οὗ φιλόν σοι, καὶ τύχοις ὅσων θέλεις.

Ex cippo Smyrnâ olim in Angliam allato apud Maxwellum Gartshore, edidit Taylor Combius, apographe summa accuratione ex aere facta, in *Archaeologia or Miscell. Tracts relating to antiquity* Vol. XIII. 1800 p. 280–289. Qui quidem ex totius lapidis habitu et, quod satis debile est argumentum, ex usu litterae Ω, quae post Iulium Caesarem in alteram formam ω mutari coepit, venerandam ipsi antiquitatem tribuendam esse coniecturat. Supra inscriptionem rudi artificio insculptus est iuvenis tunica succincta indutus, pallio ex humero dextro suspenso, et, quo equestris dignitas significetur, equum tenens. Litterarum formae elegantiores sunt, versus singuli iambos continent. Epitaphiorum hoc metro conscriptorum, si ab ἐπιδεικτικοῖς discesseris, eorum igitur, quae revera tumulis ornandis scripta fuerint, nescio an aliud exemplum supersit nullum. Trochaicum adest in *Iacobs. Append.* p. 859 nr. 320. — V. 1. fuit cum de θάλε in θάνε mutando cogitarem. Recte monet editor Anglus, μὲν οὖν commotionem animi indicare, ut *Ergo Quinctilium perpetuus sopor Urget? Horat. I*, 24, 5. *Verus mihi nuntius ergo Venerat exstinctam? Virg. Aen.* VI, 456. Difficultatem adfert particula καίτοι. Num: quanquam *super hos* integros viginti annos (ἐπὶ τούτοις) tres dies, et quidem morbo correptus, vixit, ut cum ironia quadam lugubri dictum sit? (*Postea* non bene reddit Taylor Combius.) An: quanquam *ob hoc ipsum* quod adeo maturus obiit, ut matrimonium contrahere, prolem relinquere nequierit, postquam tribus diebus miseranda morte occubuit, maius est desiderium parentum, posita scil. ante οἰκτρός minore distinctione? Ut in *Append. Iacobs.* p. 835 nr. 251. ὠκύμορον καὶ ἄτεκνον ἐπεὶ θέτο τάνδ᾽ ὑπὸ γαῖαν. Cf. p. 828 n. 225. Ita in inscriptione inter Palermitanas p. 57, a Combio citata, Κισσος και Τρυφων οι Σικαδιου ταλαιπωροι και αωροι Χρηστω Χαιρετε, verbum ταλαίπωροι vim alterius ἄωροι inculcat.

Ad ultima, in quibus πάροδος nove dictum est pro παροδίτης, cf. *Iacobs. Append.* cum n. 251, tum n. 555, ex cippo figuris ornato, in *Archaeologia* Vol. III. p. 230 aere inciso, ubi ad vocem ἀείσας bene citatur *Apollon. Lex. Hom.* V. Ἄειδε, et n. 384, 17.

Epigrammata dedicatoria.

16.

Εὐσεβέσιν κλήροις, Ποσιδώνιε, τρίς σε λαχόντα
δ(έρ)κομαι ἐν Διδύμοις, στέμμασιν ἀθανάτοις
τοῖον, ὃν Ἀπόλλων σε προφήτην ἠσπάσατ᾽ αὐτός,
λῆμμα, κρίσιν, μητρός τ᾽ εὐσεβίην δικάσας·
οὗ κλέος οὐδ᾽ αἰὼν ἐπιλήσεται· ἄνδρα γὰρ εἶλεν
(τ)ῶν πρὶν λειτουργον οὐδενὶ λειπόμενον.

Datum est in libro splendido *Ionian Antiquities* Vol. I. p. 40, ex lapide parieti aedificii diruti prope Miletum nunc inserto, quem pro basi olim fuisse oportet statuae prophetae alicuius Apollinis Didymaei sacra infula ornatae. Λαχόντα, absolute, ut οἱ λαχόντες δικασταί. Apollinis sacerdotes erant κληρωτοί, sorte ducti e primoribus civitatis, *Eurip. Ion.* 413 ss. Deus autem sortitioni praeest, suos sibi eligit ministros, in quam rem insignis est locus *Platonis de Legg.* VI. p. 759. C. Τὰ μὲν οὖν τῶν ἱερῶν, τῷ θεῷ ἐπιτρέποντα αὐτῷ τὸ κεχαρισμένον γίγνεσθαι, κληροῦν οὕτω τῇ θείᾳ τύχῃ ἀποδιδόντα. Posidonio cum in illo quasi certamine palmam deferret Apollo, reditus eius seu facultates amplas respexerat, tum incorruptam, qua iudicis munere functus esset, fidem, matris denique, quam sacerdotem Apollinis fuisse coniicere licet, pietatem. Δικάζειν, ut apud *Homer. Od.* XI, 544 546, ubi certamen de armis Achillis memoratur. Nota tamen structuram, qua hoc verbum non, uti debebat, absolute positum est; sed ita, ut aliud verbum ex adiuncto suppleatur. *Plato* l. c. pergit: Δοκιμάζειν δὲ τὸν ἀεὶ λαγχάνοντα, πρῶτον μὲν ὁλόκληρον καὶ γνήσιον· ἔπειτα ὡς ὅτι μάλιστα ἐκ καθαρευουσῶν οἰκήσεων· φόνου δὲ ἁγνὸν καὶ πάντων τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα εἰς τὰ θεῖα ἁμαρτανομένων, αὐτόν τε καὶ πατέρα καὶ μητέρα κατὰ ταὐτὰ βεβιωκότας. In marmore scriptum est Ποσείδωνιε.

17.

Ἀλκίδου Βάσσον γενεῆς, ἐρικυδέα φῶτα,
βουλὴ καὶ δῆμος, ναέται ζαθέης Ἐπιδαύρου,

ἀντ᾽ εὐεργεσίης, τὴν πολλάκι δῶκε πόληι,
εἰκόνι τῇδε γέρηραν, θεῶν βουλαῖον ἀνάκτων.
Ψ(ηφίσματι). Β(ουλῆς.)

Ex *Paciaudi Monum. Peloponn.* T. II p. 6, qui multus est de generis nobilitate eiusque apud veteres honore, (in eo quidem insigniter falsus, quod Bassum ex Epidauriorum quadam gente ab Heraclidis originem ducente ortum fuisse putat) et de statuis dicandis vel senatus consulto, vel e populi decreto, vel ex utriusque voluntate, vel e γερουσίας suffragio. Θεοὺς ἄνακτας Romanos imperatores hic esse recte statuit, qui Bassum, ut iuris peritum, in consilium adhibuerint quoties de gravi Epidauriorum controversia cognitione sententiaque transigendum, vel edictum aliquod in eorum commodum promulgandum, vel denique illorum postulationibus, libellis, epistolis rescribendum fuerit. (pag. 74.) Marmoris scriptura et characterum forma Traiani et Hadriani aetatem prodere ei videbatur. — Inscriptionem statuae a πρεσβυτέρων συνόδῳ Theogitoni in insula Chio in gymnasio Homerico positae, in *Commentariis Societ. philol. Lips.* Vol. IV, p. 1, p. 154 editam, huc apponeremus si minus lacera esset.

18.

—φθέγγεται, ἠρεμέει, γελάει μόνον· καὶ τάχα δώσει
τὰν δὲ λίθῳ ψυχάν. μορφὰ τόσον δύναται.

Fx Diario litterario Ital. (*Giornale dell' Ital. letterat.* Padova 1811) T. XXVIII p. 93. Marmor inventum prope Argos anno 1810, et cum aliis una tunc effossis a Northio, Anglo nobili, emtis de praefecto istius terrae, Veli Pascha. Qui illic primum edidit, Mauromatus Corcyraeus, Academiae Jonicae socius, fragmentum esse non animadvertens, ita interpretabatur:

Parla, s' acqueta, ride sol? o anche presto
Darà anima al sasso? Tanto può la forma.

De statua sermonem esse, cuius basi insculptum fuerit epigramma, dubitari nequit; interrogative accipienda esse quae supersunt, minus liquet. Praeterea particulam δέ a poeta profectam esse vix credi potest, quamvis καὶ δέ etiam supra n. 6 legitur, Anglo anonymo notante, hanc constructionem, quamvis inelegantem, non egere exemplis.

19. 20.

Ἀστάρτης βῶμον μ᾽ ἐσορᾷς, Ποῦλχερ μ᾽ ἀνέθηκεν.

Ἡρακλεῖ Τυρίῳ Διοδώρα ἀρχιερεία.

Ex *Archaeolog.* Vol. II pag. 92 et Vol. III p. 324. Utraque ara in parochia Corbrigiensi reperta est, quo quomodo Syriorum deorum cultus translatus fuerit investigare, minus felici successu, conatus est editor p. 327—331. Praeter has nostras nullae unquam in Anglia inventae sunt inscriptiones Graecae.

Accedamus iam ad id, quod haec qualiacunque proludendi occasionem dedit. Instat enim regis augustissimi natalis, quem oratione in aedibus academicis habenda piisque votis pro regia salute concipiendis primum celebrabit universitas litteraria Rhenana. Cui solennitati rite obeundae Curatorem Academiae illustrissimum, generosissimum, proceres huius urbis gravissimos, commilitones generosissimos, humanissimos ea qua par est observantia invitamus.
